



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XXXIII. Ingratitudinis vituperatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

nibus abstinemus: In quadragesima verò, licet non ubique etiam ovis, caseo, & lacticiis. **SEXTO**, illi, si Monachi essent, quos S. Augustinus, *de Bapt. lib. 2. de Jeju. Omnes, &c.* *morbis Ecclesie cap. 32.* vocat perfectos Christianos, per omnem vitam communiter omnes jeiunabant. Quidam etiam in duos, tres, quatuor dies jeiunia protraherent, solo pane & aqua victitantes. S. Augustinus de quibusdam etiam in urbe de gentibus scribit, quòd *continuum triduum, vel amplius sapissimè sine cibo & potu duxerint. non viri solum sed & foemine, &c.* **SEPTIMO**, Veteres aut per paucos, aut nullos à jeiunandi lege, maximè in Quadragesima exemisse videntur: nunc à Theologis & Iureconsultis multi aut *imbecillitatis*, aut *necessitatis* titulo hoc vinculo liberantur: *imbecillitatis* quidem, 1. pueri & adolescentuli usque ad 21. annum ætatis, &c. 2. senes septuagenarij, vel octogenarij, imò & sexagenarij. 3. ægri, & valetudinarii. 4. pauperes, & mendici. 5. omnes, qui jeiunare non possunt. *Necessitatis* verò titulo multi eximuntur lege jejunii, non tamen delectus, ut fabri ferrarii, murarii, & lignarii, aurigæ, agricolæ, viatores iter facientes pedibus, & quotquot gravibus laboribus corpora fatigant. Athæc, qui exercent se operibus misericordiæ vel corporalibus vel spiritualibus proximo exhibendis, si jeiunt hæc pietatis officia commodè præstare non possint.

In EPILOGO hortaberis Auditores, ut ex dictis, & aliis sint ad jeiunandum promptissimi.

XXXIII. INGRATITVDINIS VITUPERATIO.

EXORDIUM petatur à laude, qua memores beneficiorum affici solent: eos enim & pleno ore laudare, & summa benevolentia significatione complecti, & indes maiori beneficio cumulare studemus.

Pars. I.

I

PRC-

PROPOSITIO: Teigitur è contrario, quàm enorme sit vitium eorum, qui nullam grati animi significationem iis exhibent, a quibus beneficia perceperunt, demonstraturum.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS à *Lege Natura*. Videmus PRIMO, ea, quæ sensu destituta sunt, (ut agros, arbores, &c.) magno cum fœnore ea, quæ acceperunt, refundere. SECUNDÒ, bruta animalia, non solum domestica, sed etiam ferocissima, eos diligere, à quibus beneficia acceperunt, imò pro exiguis beneficiis gratissima esse. Piger à Salomone ad formicam ablegatur, ut ab ea discat industriam: quanto magis ingratus ad similes bestias est ablegandus? Sanctus Ambrosius ablegat ingratos ad canes: *Quid inquit, de canibus loquar, quibus insitum est natura quondam referre gratiam, & sollicitas excubias pro dominorum salute prætere?*

Prov. 6, v. 6

In Hexameron. lib. 6. c. 4.

*Quis non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Interfectus à latronibus in solitudine dominis complures à cadaveribus canes non recessisse, ait, S. Basilus, sed ibidem exspirasse memoria traditur. Nonnullos etiam eade aâhuc recente duces illis fuisse, qui latrones inquisierunt, & ad pœnam maleficos capi fecerunt. De leonum gratitudine erga benefactores mira extant exempla. Apud Sophronium, in Prato spirituali cap. 107. de leone, qui ob spinam à Beato Gerasimo Abbate è pede euulsam, recedere à cœnobio noluit: ipsoque mortuo, magno rugitu edito & ipse sepulchro eius incumbens exspiravit. Apud A. Gellium, in Noctibus Atticis, de alio, qui passus est se ob simile beneficium ab Androdo servo fugitivo per Urbem Romam instar canis deduci, à clamante populo: *Ecce leo hospes hominis, ecce homo medicus leonis.**

Hom. 9. In Hexam.

Non S. Hieronymo.

Lib. 5. 400.

Pag. 241.

Matthæus Paris in historia Anglicana: *Vitalis inquit, Venetus civis, dives & avarus, cū daturus esset filiam*

liam

liam suam nuptui, ut mensam prepararet lautio-
 ratum iuit, in quandam forestam vastissimam, & deser-
 tam, mari conterminam. Et cum per devia eremi solus
 vageretur, arcum extensum baiulans cum sagittis cupi-
 ditate ferine ductus, incidit fortè in foveam & pedicam
 leonibus, ursis, & lupis subtiliter preparatam, à qua,
 cum os strictum esset, & pavementum profundum & am-
 plum, nullo modo potuit ascendere, vel evadere: invenit
 autem in ea, qua eodem casu in ipsam inciderant, duo
 crudelia animalia, leonem & magnum serpentem; delabitur
 sed ipsum Vitalem: qui se signo crucis premuniuit, ne
 quaquam invaserunt, licet famelici nimis & protervi, Nota vim
 Accidit autem, ut quidam pauperculus carbonator syl-
 vicala, dum pergeret quisquiliis ibidem lignorum colli-
 gendo, audiret clamorem & planctum quasi subterra-
 neum, & vocem sequens pervenit ad os putei, & intro-
 spiciens ait: Qui es, quem audio? Et Vitalis, gavisus su-
 pra id quod dici potest, respondit alacriter: Ego sum mi-
 ser Vitalis cognomento Venetus, qui ignarus muscipula-
 rum harum, in foveam istam incidi, feris nocivis de-
 uorandus, qui fame & timore contabesco. Sunt enim hic
 duo, qua nimium pertimesco, animalia, leo quidem &
 anguis, sed adhuc, Domino protegente, cuius signo me
 communi vi, me non invaserunt: tibi reservatus sum, ut
 tibi benefaciam, erue me, & benetibi erit: ecce tibi di-
 midium bonorum meorum concedo, quingenta talenta:
 sunt enim mihi mille. At pauper: Si dictis facta com-
 penses, faciam quod desideras, & hortaris. At Vitalis di-
 cta sua multis & magnis iuramentis, Domino interposi-
 to pro fideiussore, & fide media confirmavit. Et cum col-
 loquerentur, leo motu caudae sautuoq; iucundo, & simili-
 ter anguis blando sibilo & totius corporis volubilitate
 eidem pauperi applauserunt, quasi liberationem suam
 cum Vitali postulantes. Et statim pauper domum su-
 am festinus abiit, scalamq; cum funiculis, quos noverat
 necessarios cum summa festinatione preparavit, & redi-
 ens dimisit eam in puteum solus. Et statim, imò raptim &

In fossam
 altissimam
 delabitur
 anarus.

Nota vim
 signi crucis.

certatim, leo & anguis per gradus scale ascendentes, ipsi Pauperi applauserunt, & circumeuntes pedes eius, volutabantur coram eo latibundi, quasi gratiarum actiones pro liberatione suo referentes eidem. Postea vero pauper ipsius Vitalis ascendens manum apprehendit, & deosculans, ei dixit. Vivat manus hæc eia eia, gaudeo planè, quia voti compos effici merui, & duxit eum donec ad notitiam itineris perveniret. Et Vitali recedenti ait, Sylvanus pauperculus Quando, & ubi persolves mihi debita? Et Vitalis intra diem quartum in Venetia, in palatio meo quod quidem famosum est, & reperiri non est difficile. Rediit Sylvanus ad domunculam suam, ut pranderet. Quo sedente ad mensam ecce leo, quem liberaverat, apportans hinnulum, intravit, & apposuit mensæ prandentis blandus & mansuetus, quasi offerens illum loco præmij pro beneficio liberationis, & applaudens mitissimus sine rugitu & ira aut alicuius læsione recessit. Et sequebatur eum Sylvanus, ludentem coram eo & ligentem pedes eius, ut, ciret ubinam esset cubile eius (admirabatur etiam vehementer tantam leonis mansuetudinem) & postea rediit ut pranderet. Et cum cibum sumeret, ecce & serpens liberatus adfuit, gemmam pretiosam ore deferens apposuitque eidem Sylvano tanquam liberatori suo, & illam in disco suo reposuit. seseque spiris volubilibus ante ipsam volutans, & ludens applausit, quasi grates referens ei pro impenso sibi beneficio; & blando emisso sibilo nullum lædens, recessit quem similiter sequebatur Sylvanus, præ admiratione, ut de caverna eius certificaretur. Elapsis igitur duobus vel tribus diebus, Sylvanus secum deferens gemmam suam pretiosam, quam serpens suus attulerat, Venetiam adiit, ut à Vitali promissa reciperet. Et inuenit eum cum civibus vicinis præ gaudio liberationis conuiuantem. Quem Sylvanus seorsim evocans, & secretius alloquens, dixit: Amice, solve quod debes. At ipse torvo vultu respondit: Quis tu? quid exigis? at ille: quingenta ta-

Gen.

Magna am-
barum fera-
rum in libe-
rato em su-
um gratitu-
do.

lentamihî à te pro beneficio tibi facto ex pacto promissa.
 At Vitale. Ita tam leuiter velles lucrari quæ ego per lon-
 ga tempora laboriosè acquisiui, & præcepit familia sua,
 ut caperetur, quasi delirans pro tanta temeritate in car-
 cerandus. Quod Sylvanus intelligens repentino saltu à
 domo exiit & veniens ad Prætorium, hæc omnia se-
 riatim iudicibus ciuitatis intimauit. Qui cum non pla-
 nè crederent, ostendit gemmam sibi à serpente gratiarum
 loco datam, & illicò unus ciuium quem virtus lapidis
 non latebat, ipsam magno preiio comparauit. Vt autem
 omnes redderet certiores Sylvanus, aliquos de ciuibus
 duxit ad latibula leonis & serpentis, qui adhuc Sylvano na-
 tanquam liberatori applausere. Certificati igitur iudi-
 ces de rei veritate, compulerunt Vitalem reddere, quæ
 promiserat, & satisfacere pro injuria. Hæc referebat Rex
 Richardus munificus ingratos edarguendo,

Richardus
 hic Rex An-
 glorum fu-
 it, primus e-
 jus nominis
 circa Annis
 Domini
 1195.
 V. de Thea-
 urum Vn-
 di& Diu&

II. Locus ab exemplis eorum, qui ob ingrati-
 nem à Deo puniti sunt, ut Adami, Iudæorum, Iu-
 dæ proditoris, &c.

II. à testimonijs S. Scriptura quibus ingrati argu-
 untur. Luc. 7. v. 17. Christus conuenitur de no-
 vem leprosis à se mûdatis. S. Paulus (2. Tim. 3. v. 2.)
 inserit ingratos catalogo improborum. Salomon.
 (Prov. 17. v. 3.) Qui reddit mala pro bonis, non recedet
 malum de domo eisu.

Esai. 15.
 v. 2, Filio,
 &c.
 Publiu Mi-
 mus: Dixeris
 mal. dicta
 cuncta sî
 ingratorum
 dixeris.

IV. à testimonijs Ethnicorum. Seneca libr. 4. de
 Beneficiis, cap. 18 Per se ait, fugiendares, ingra-
 tum esse, quoniam nihil a què concordiam humani
 generis dissociat ac distrahit, quàm hoc vitium. Et
 libr. 3. cap. 1. Non referre beneficiis gratiam, &
 est turpe & apud omnes habetur. Ingratus est, qui be-
 neficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus est,
 qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingrati-
 mus omnium qui oblitus est. Cicero: Ingratitu-
 dinis cum. 8.

Ad Attri-
 dinis cum. 8.

diis vitio, inquit, nihil mali non inest. Laudatur Atheniensium & Maecdonum institutum, qui severissima lege statuerunt, ut adversus ingratos iure non secus ageretur, atque si ære alieno, vel gravi crimine oppressi forent.

Vide Val.
Maxim.

V. *à comparatis.* Si Tullio teste, in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos existere debemus, qui jam profuerunt? Etsi Senatus Romanus anseres publico stipendio ali iussit, quod Capitolium à Gallorum imperu, strepitu & clangore liberassent, quàm gratos nos esse decet in eos, qui animas nostras curant, tuentur, & pascunt?

EPILOGUS *constabit adhortatione*, ut Auditores, cum in omnes, tum verò maximè in Deum, parentes ac præceptores, quibus, ex Arist. sententia, nunquam par meritis gratia referri potest, grati existant.

XXXIV. PARÆNESIS AD IUVEN- tutem, ut audita diligenter re- tractet.

EXORDIUM *à tempore & rei suadendæ necessitate*, quod iam lectiones inchoatæ sint in quarum initio studia fervere solent, qui fervor non in principio duntaxat, sed in medio etiam & fine requiritur, & quidem non in attendendis solum, sed & in retractandis ac ruminandis lectionibus auditis, ut quam altissimè animis infigantur ea, quæ præcepta sunt, & iam primas agere radices cœperunt.

PROPOSITIO: Proindè te statuisse, ad unum omnes amice admonere, ut per totum lectionum cursum omnia in scholis audita, quam dili-
gen-